Programm

des

Königl. Gymnasiums zu Rastenburg

für das

Schuljahr Michaelis 1844 bis Michaelis 1845

womit zu der

auf den 29. und 30. September

festgesetzten

öffentlichen Prüfung

der Schüler

und zur

Entlassung der Abiturienten

einladet

Joh. Wilh. Gottl. Heinicke,

Director.

Inhalt: 1. De perfecti temporis et plusquamperfecti formis Homericis. Abhandlung vom wissenschaftlichen Hülfslehrer Losch.

2. Schulnachrichten vom Director.

Rastenburg, 1845.
Druck der Haberlandschen Offizin.

De perfecti temporis et plusquamperfecti formis Homericis.

Scripsit

Losch, gymn. Rastenb. praeceptor.

De perfecti temporis et plusquamperfecti formis Homericis.

In tanta formarum praeterito tempori addictarum abundantia quum aoristus poetis Graecis et mira significationis varietate et summa flexionis facilitate et forma admodum numerosa summopere acceptus sit, perfectum vero quum ob singularem significationem artioribus finibus inclusam, tum ob majorem flectendi difficultatem atque formam minus rhythmicam simplici ac metri vinculis adstrictae orationi aut omnino reluctetur aut non ita commode usquequaque recipiatur: mirum vix poterit esse, imprimis apud Homerum tanto rariorem esse perfecti temporis usum, quanto frequentior est aoristi. Neque tamen omnium perfecti formarum eadem est ratio. Primum enim in activo genere quum sit perfectum durius et verbis, ut ita dicam, plenioribus, quibus instructa est cultior oratio, magis aptum, quod a grammaticis primum dicitur, alterum et significatione et forma expeditius, quod vocatur secundum: illud apud Homerum nisi in puris verbis, quorum est commodior flectendi ratio, fere nunquam legitur, hoc saepe reperitur, praesertim quum a praesentis aut aoristi vi et notione non semper abhorreat. Eodem modo plusquamperfectum simplicius, repudiata integra significatione in imperfecti saepe aut aoristi similitudinem delapsum non admodum rarum est. Longe tamen usitatiores esse passivas perf. et plusq. formas optime enarravit Buttm. §. 97 adn. 6; commendantur enim significatione et aptiore longarum et brevium syllabarum vicissitudine.

Itaque quamquam de omnibus fere perf. et plusq. Homericis viri docti optima praecepta tradiderunt, hac facta scribendi potestate et de forma et de significatu horum temporum strictim disserere constitui, ut quae diversis locis disjecta legantur perpetuae scriptionis vinculo connexa appareant.

Duae autem sunt opusculi partes, quarum in priore de forma, in altera de significatione perf. et plusq. agitur. Forma vero quum complectatur et augmentum et verbi radicem et syllabam, qua fit terminatio, in tres particulas divisi priorem partem, quarum in prima praecepta traduntur de augmento, in altera de mutationi-

bus, quae cadunt in radicem, si perf. formandum est, in tertia de syllabis, quibus terminantur perf. formae; his vero pauca adjunxi de conjugationis periphrasi quadam in Homericis carminibus usitatissima.

Pars prior.

De perf. et plusq. forma.

§. 1.

De augmento

Perf. quidem et plusq. formae in vulgari sermone reduplicatione agnoscuntur, summopere tamen cavendum est, ne in Homericis quoque omnes voces, quarum in capite reduplicationem positam videamus, in perfectorum ordinem referamus. Temporum enim omnium vis ac potestas addita reduplicatione augetur, et inde factum est; ut eam non solum perfecto et inde orto futuro tertio, verum etiam aoristo et praesenti tempori praefixam inveniamus, qua de re grammatici ita plerumque explicare solent, ut novum e perfecto ortum praesens doceant. Id quidem revera factum videmus in vocibus ἄνωγα (ἀνώγω), γέγωνα (γεγωνέω), similibus, et eadem ratione e δέδαα fit δεδάηκα (velut e δεδαάω); sed praeterea satis multa exstant exempla praesentium er aoristorum reduplicatione ornatorum, quae a perfecto quodam originem trahere nequeunt. Cave igitur nimium tribuas διπλασιασμῷ, si totus formae habitus et imprimis significatio praesens aut aoristum commendat.

Fieri tamen solet, ut a praesente aut aoristo syncopato modi oriantur, velut a perfecto. Recte quidem Buttm. §. 112 adn. 20 βεβρώθοις praesentibus adnumerat, sed βεβρωθώς legitur Od. X, 403. Il X, 94. Eodem modo κεκληγόντες (ita fortasse scribendum est pro vulgari κεκλήγοντες; alii scribunt κεκληγότες, renitente metro, alii melius κεκληγῶτες). Il μ, 125. π, 430. ρ, 656, 759 inter aoristos referendum est, sed reperitur κεκληγώς Il β, 222. ε, 591. λ, 168, 344. ν, 755. ρ, 88. Od μ, 408. Pari ratione δέδαεν Od ζ, 233. ϑ, 448. υ, 72. ψ, 160 propter inhaerentem significationem transitivam a Buttm. aoristis adscribitur, sed δεδαώς Od ρ, 519 ob significationem, quae voci subjecta est, intransitivam perfectis eripi non potest. Tum ἐγρήγορα verum est perfectum, sed in promptu est ἐγρηγορόων Od υ, 6, Denique τετεύχατον transitivum Il ν, 346 aut mutandum in aoristum τετεύχετον, ut vult schol., aut in imperfectum ἐτεύχετον, ut censet Buttm., nam τετευχώς probum perfectum Od μ, 43 intransitivum significatum prae se fert. Non vero video, cur Matthiaeus §. 202 τεταγών Il a, 291 huic generi admisceat, integer enim est aoristus, illis formis adnumerandus, quas collegit Buttm. § 83 adn. 10.

Iam reduplicationem ipsam videamus eorum verborum, quae a consonanti litera incipiunt. Ibi singularis quaedam est ratio eorum verborum, quorum in capite posita est liquida litera aut sibilans ς. In activo enim genere nonnunquam geminata consonans simplici ε addi solet; ἔμμορα, et semper hoc cadit in caninam literam: ἔῤῥιγα etc, uno excepto ῥερυπωμένα Od ζ, 59. Passiva forma hoc in genere saepe habet ει: εἵμαρται, εἵμαρτο, εἴρηται, εἴρυται (ʽΡΕΩ, ʽΡΥΩ), legitur tamen Προλελεγμένοι „lecti" Il ν, 689, et σείω in passivum etiam recipit σ duplex: ἔσσυται, ἔσσυτο.

Et ea praecepta, quae de iis verbis traduntur, quae incipiunt a duplici consonanti litera, servantur in Homeri carminibus, e κτάομαι tamen formatur ἐκτῆσθαι Il ι, 402; et πεπτηώς (πτήσσω), πεπτεώς (πίπτω), πέπταται (πετάννυμι) syncopatis formis addi possunt.

Cum aspero spiritu conjunctum augmentum videmus in formis ἕσταα et ἕστηκα. Postremo productione longior fit ea syllaba, quae continet reduplicationem, in vocibus δείδια, δείδοικα (legitur tamen δεδίασιν Il ω 663), δειδέχαται, δειδέχατο, δείδεκτο; sed δείδια ad digamma referri potest, et in δειδέχαται etc jure quodam teneri videtur radicalis diphthongus ει verbi δείκνυμι. —

Altera reduplicatio, quae dicitur attica, fere semper legitima ratione radici praefigitur, quae initium sumit a vocali litera, nec secundae syllabae productio justa negligitur, exceptis exemplis ἐρέριπτο Il ξ, 15, ἐλέλικτο Il λ, 39. ν, 558* (ab ἑλίσσω, quamquam eadem forma referri potest ad aoristum plenioris verbi ἐλελίζω), ἀκάχμενος (pro ἀκηχμένος ab Ἄκω unde Ἄκη, ἀκωκή), ἀλάλημαι, ἀλαλύκτημαι (ἀκάχημαι ἀχέω.)

Nonnunquam brevis primae syllabae vocalis producitur, ut in εἰλήλουθα, aut duplici consonanti litera quasi corroboratur, velut in ὑπεμμήμυκε Il. χ, 491 (al ὑπεμνήμυκε); ρ literam videmus additam voci ἐγρηγόρθασι Il κ 419 (pro ἐγηγόρθασι ex ΕΓΕΡΘΩ, ita ut soni quidam concentus nascatur cum aoristo ἔγρετο.)

Denique verbi ἔχω activi generis perfectum συνοχωκότε Il β, 218 in primam adeo syllabam recipit vocalis mutationem; passivum tamen reduplicatione attica plane omissa simplex prae se fert augmentum ἐπώχατο Il μ, 340. Vocis a diphthongo ordientis exemplum a legibus grammaticis non recedens est παροίχωκεν Il κ, 252 (ab οἴχομαι, qua de causa repudianda videtur forma παρῴχωκεν neque confugiendum ad παρῴχηκεν perfectum verbi cujusdem οἰχέω.)

Rara sunt exempla perfectorum simplici temporali augmento praeditorum: ἀνῷγε (ἀνοίγω) Il ζ, 168, ἐφῆπται, κατήκισται, ἐπήσκηται; longe enim saepius iis verbis, quorum prima litera est vocalis, si attica reduplicatio a forma aliena

esse videtur, aut syllabicum augmentum praefigitur, aut reduplicatio omnino omittitur. Syllabicum augmentum imprimis accedente vocalis mutatione addi videmus, id quod demonstrant exempla ἔοικα, ἔολπα, ἔοργα. In vocibus ἔθω et ἀνοίγω cernitur praeterea ὑπεραύξησις, additur enim ε et vocalis υ producitur: ἔωθα Il θ, 408, 422 et εἴωθα Od ρ, 394. Il ε 766, ἀνέῳγε Od κ, 389. Il π, 221, ω, 228. Nec desunt exempla, in quibus augmentum ε aut integra aut correpta vocalis radicalis sequitur: ἑαδότα Od σ, 421. Il ι, 173, ἔερκτο (al. ἔερτο) Od ο, 459, ἐέρχατο Od κ, 241, ἐέλμεθα Il ω, 662, ἕεστο Il μ, 463, ἔϊκτο Il ψ, 107 (legitur tamen ἤϊκτο Od δ, 796. ν, 288. π, 157. υ, 31.)

Abjectum augmentum non admodum raro reperimus, ac primum quidem in iis perf. formis, quae syllabicum augmentum prae se ferre solent, quamquam radix a vocali litera oritur: ἔρχαται Od, κ, 283. Il π, 481, ἔρχατο Il ρ, 354. Od ι, 221. ε, 73, ἕσσο, ἕστο, ἕσσαι (ἕννυμι), ἕαται, ἕατο (ἧμαι.) Saepissime tamen radicibus ῾ΕΩ (ἧμαι) et ῾ΕΩ (ἕννυμι) augmentum praefigitur, priori η: ἧμαι, ἧσαι, ἧσται, ἥμεθα; ἥμην, ἧστο, ἥσθην, ἧσθε, ἧντο et ει in pluralis numeri tertia persona: εἵαται, εἵατο; alteri ει: εἷμαι, εἷται, εἷατο, qua de causa ἧσται forma, quam legimus Od λ, 191 in εἷται aut ἕσται mutanda videtur. Sequitur perfectum οἶδα, in quo augmenti locum occupare videtur vocalium mutatio; plusq. tamen ᾔδειν vulgare augmentum tenet. Tertio loco augmento carent ea verba, quorum prima vocalis a productione prorsus abhorret: οὔτασμαι, εἰλύαται (si vis referre hanc formam ad εἰλύω, quamquam praesto sunt optimae notae praesentia ἔλω, ἐλύω) his accedunt verba ἀμπιαχυῖα Il β, 316, ἱέρευντο Il ω, 125, in quibus ι servatur breve; sed ἀφῖχθαι Od ζ, 297 et ἱλήκησι Od φ, 365 (potest tamen ad praesens ἱλήκω referri haec forma) ab regula non declinant. Denique nonnullae voces incertae originis augmento prosus repugnant: ἄνωγα, ἀδδηκότες, ἀρημένος (al. scribunt ἀρημένος et miro modo conjungunt cum αἱρέω), ἀλιτημένος. — Attamen earum vocum, quae a consonanti litera incipiunt, reduplicationem abjici paene inauditum est, quum solum ejus rei exemplum esse videatur δέχαται Il μ, 147, et κεῖμαι, quamquam ortum esse potest ex κέκειμαι, verum sit praesens; ἐδέγμην vero et id genus formarum ingens copia in censum venire non possunt et optimo jure in aoristorum syncopatorum agmen referuntur, quamquam in promptu sunt δέδεξο et δεδεγμένος; significatio enim istis formis subjecta fere semper a plusq. aliena est, nec illi, ubi minus repugnet, tantum tribuendum esse videtur, ut levi necessitate coacti novam quasi anomaliam poetae inculcemus Cf. Buttm. s. v. δέχομαι.

Plusquamperf. augmentum, quod reduplicationi addi debebat, modo praefigi-

tur, modo respuitur in verbis omnibus; atque tota haec res ex metro aut ex librorum editorumque arbitrio pendet. Attica reduplicatione ad perfectum formandum adhibita fere semper abjicitur, exceptis exemplis ἠρήρει Il μ, 56, ἠρήρειστο. In iis verbis, quae a vocali litera initium capiunt et syllabicum augmentum prae se ferunt, saepissime cernitur augmenti ἀναχώρησις: ἐῴκει (legitur tamen ἐοίκεσαν Il ν, 102), ἐώλπει, ἐῴργει; et ad hoc genus referendum videtur ἄωρτο pro ἤορτο. Aspero spiritui augmentum novum adjungitur, legitur enim ἑστήκει et εἱστήκει et ἕστασαν (saepe quidem libri habent ἕστασαν et transitiva et intransitiva significatione instructum, sed ἕστασαν scribendum videtur, ubi intransitiva, ἵστασαν imperfectum, ubi transitiva vis formae subjecta esse debet.)

Perfecti augmenta in modis remanere omnibus notissima lex est. Attamen οἶδα in modos omnes radicale ει recipit, illa, quae augmenti locum obtinet, vocalium mutatione neglecta: εἰδῶ, εἰδείην, ἴδμεν, ἴδμεναι (correptae formae ortae ex εἴδεμεν, εἰδέμεναι), εἰδώς, εἰδυῖα et ἰδυῖα. Idem prorsus fit in verbo ἔοικα, nam legitur quidem ἐοικώς, ἐοικυῖα, εἰοικυῖα Il σ, 418. sed frequentes sunt breviores formae εἰκώς, εἰκυῖα.

§. 2.

Quomodo se habeat radix verbi in perfecti forma exponitur.

Activi perf. et plusq. tria venditant grammatici genera, quorum primum vocatur perf. et plusq. primum, alterum secundum, tertium syncopatum. Primi, quod dicitur, perfecti aspirati, quippe durioris, admodum rara sunt in Homeri carminibus vestigia. τέτροφα enim, τέτευχα, βέβρυχα, similia, quum jam verbi radix contineat literam aspiratam, perfecto secundo addenda sunt, nec magni momenti esse videntur passivae formae ἐπιτετράφαται, ὀρωρέχαται κ. τ. ἑ., quamquam Matthiaeus §. 186 et Buttm. §. 97 adn. 7 et §. 98 adn. 14 inde perfectum quoddam primum prodi atque indicari doceant. Itaque sola hujus generis exstant exempla vix omni exemta dubitatione: τετρήχει (ταράσσω - θράσσω) Il. β, 95, τετρηχυῖα Il η, 346, quibus accedit exemplum primi perfecti verbi dentalis βεβρωκώς Od χ, 403 Il. χ, 94. Quum tamen in nonnullis libris pro τετρηχυῖα reperiatur τετρηχεῖα et ipsum τετρήχει, praesertim quum intransitivam teneat significationem, referri possit ad verbum quoddam simplex ΤΡΑΧΩ sive ΤΡΗΧΩ (unde τραχύς), βεβρωκώς vero in editionibus melioris notae vulgari cedat formae βεβρωθώς: haec omnia a secundis perfectis non videntur sejungenda.

Itaque primum perfectum solis puris verbis tribuendum videtur, ibi enim satis frequens est et duplicem habet formam, alteram pleniorem et grammaticae prae-

ceptis haud repugnantem, alteram simpliciorem, extruso *ϰ*. Prioris generis haec sunt exempla: *ἰλήκησι, βέβηκα, βεβήκει· βεβίηκεν* (*βιάζομαι, ΒΙΑΟΜΑΙ*) Il ϰ, 145, 172. π, 22 *δεδάηκα* Od ϑ, 146, 134· *ἕστηκα, ἑστήκει· τέτληκας* Il α. 228. 543. Od τ, 347· *τέθνηκεν· κέκμηκας* Il ζ, 262· *βεβλήκει· τεθαρσήκασι* Il ι, 420. 683· *δεδειπνήκει* Od ρ, 359 (falso scribitur in nonnullis libris *ἐδειπνήκει*)· *ἁδδηκότες· τετύχηκε* Od ϰ, 88. Il ρ, 748· *μέμβλωκε* Od ρ, 190. Il δ, 11. ω, 73· *δέδυκεν* Od μ, 93. Il ε, 811. ι, 289· *συμμέμυκεν* (*μύω*) Il ω, 420· *πεφύκει· δείδοικα* (oritur enim haec forma ex *δείω, δίω*)· *ὑπεμμήμυκε*. Ex his formis *τέθνηκα, κέκμηκα, βέβληκα, μέμβλωκα* ortae sunt metathesi quadam literarum, qua fit ex *θαν-θνα*, ex *καμ-κμα*, ex *βαλ-βλα*, ex *μολ-μλο*, nisi mavis elisas esse vocales *α, ο*. Deinde *δείδοικα* unum exemplum est mutatae vocalis in perfecto primo, et in *ὑπεμμήμῡκε* solo cernitur productio syllabae tertiae, quamquam addita est reduplicatio attica. — Quod vero diximus primo purorum verborum perfecto *ϰ* nonnunquam detrahi, id in participiis nonnullis cernitur, quamquam saepius in libris exstat plenior forma, quae *ϰ* servat. Ejus generis exempla sunt: *τετιηώς* (sexies in Iliade, nunquam in Odyssea scriptum), *τετληώς, τεθνηώς, κεκοτηώς, κεκορηώς, βεβαρηώς, κεχαρηώς* (quasi ex *ΧΑΡΕΩ*, cf. *ἐχάρην*), *κεκαφηώς, κεκμηώς*. Etiam in duobus verbis, quae puris vix adscribi possunt, eadem in promptu est forma: *πεπτηώς* (*πτήσσω*) Od ξ, 354. χ, 362. ξ, 474. Il β, 312 et *πεπτηώς* (*πίπτω*) Od χ, 384. υ, 98. Il φ, 503. al. scribunt modo *πεπτεώς*, modo *πεπτωκώς*; possunt tamen et *πεπτηώς* (*πτήσσω*) et *πεπτηώς* (*πίπτω*) ad radicem *ΠΕΤΩ-ΠΤΕΩ* accommodari et ad metathesin illam aut syncopen referri, quam in *τέθνηκα, κέκμηκα*, similibus, vidimus supra.

Iam ad secundum perfectum accedamus, tritissimam formam, sive in consonantem, sive in vocalem literam cadit verbi radix, non enim est, quare de syncopato perfecto separatim loquamur, quoniam a *ΒΑΩ* eodem modo oritur *βέβαα*, quo a *γήθω-γέγηθα*. Secundum perfectum, ubi radix consonanti litera concluditur, prae se fert productam vocalem radicalem in exemplis longe plurimis: *τέθηπα, σέσηπα, δέδουπα* (*δουπέω, ΔΟΥΠΩ*)· *γέγηθα, κέκευθα, βέβρῑθα, ἑαδότα, βεβρωθώς, πεφύζότες* (e substantivo *φύζα* formatum perf.)· *ἀνέῳγα* et *ἀνῷγα, μέμῡκα* (*μυκάομαι*), *πέπηγα, ἔῤῥιγα, τέτηκα, πέφρῑκα, τετευχώς, βέβρῡχα* (*βρυχάομαι*), *βεβρυχώς* (*βρύχω*) Il ν, 393. π, 486, *λεληκώς πεφευγώς, πεπληγώς, κεκληγώς, τετριγώς, μεμηκώς*, (*μηκάομαι*). *ἄνωγα προβέβουλα, γέγωνα, τεθηλώς, κεχηνώς*, quibus accedit *κεχανδώς*. Quod si *ε* inest in radice, producitur quidem vulgari modo in *η*, attamen in uno tantum exemplo *μέμηλα* (*μέλει*; aliis in verbis semper transit in *ο* et *ει* in *οι* aut in liqui-

dis verbis in $\overline{o}$: *ἔολπα, τέτροφεν* (*τρέφω*.) Od ψ, 237. Sed *τέτραφεν*, quod habent nonnulli libri Od κ, 417. Il ψ, 348. φ, 279 sine dubio mutandum est in *τ' ἔτραφεν, γ' ἔτραφεν, γ' ἔτραφ'*, nam vis intransitiva et activo et passivo aoristo secundo inhaeret; *τέτραφεν* vero perfectum prioribus duobus locis omnino reluctatur, quoniam requiritur pluralis numerus:

ἵνα τ' ἔτραφεν ἠδ' ἐγένοντο; (*ἐτράφησαν*)
οἱ ἐνθάδε γ' ἔτραφεν ἐσθλοί. (*ἐτράφησαν*);

tertius vero locus

ὥς μ' ὄφελ' Ἕκτωρ κτεῖναι, ὃς ἐνθάδε γ' ἔτραφ' ἄριστος;

quamquam defendi videtur *τέτραφ'* loco Od γ, 28 *τετραφέμεν* (sed in melioribus libris scribitur *τετραφέμεν*) et nullam difficultatem moveret significatio, non tantum habet momenti, ut eo tutari possis formam Homero, ut videtur, minus acceptam. Sed e *τρέπω* formari poterat *τέτραφα* (cf. *τετράφαται*), quamquam et illud perfectum Homerus non habet, *πέπονθα, εἴωθα* et *ἔωθα* (pro *εἴοθα*), *ἔοργα, λέλογχα, δέδορκα, γέγονα, δέδρομα, μέμονα· λέλοιπεν, οἶδα, πέποιθα, ἔοικα, διέφθορα, ἔμμορα.* Ex *κόπτω*, quum jam in radice insit $\overline{o}$, flectitur *κεκοπώς* Il ν, 60. Od σ, 334. — Vocalis radicalis correptio ab ipso quidem perfecto secundo aliena est; nam quod legitur Il ρ, 154 *ἀναβέβρῠχεν* corrupta est forma, de qua v. Buttm. s. v. *βρυχάομαι*; attamen in participiorum multorum femininum genus metri necessitate correptio inducta videtur: *πεπᾰθυίη* (*πάσχω, ΠΑΘΩ*), *λελᾰκυῖα, ἀρᾰρυῖα, τεθᾰλυῖα, ἀμφιᾰχυῖα.* —

Et eae perfecti secundi formae, quae atticam reduplicationem adjunctam habent, ab regula non recedunt: *ὄπωπα, ἐδηδώς, ὀδώδει, ἀρηρώς, ὄλωλα, ὄρωρα.* Nec praeter $\overline{\chi}$ in $\varkappa$ mutatum quidquam est quod miremur in formis *παροίχωκεν* et *συνοχωκότε.* Ipsum *ἄρηρε* exstat Od ε, 248, sed repugnat formae transitiva, quae inhaeret, significatio

γόμφοισιν δ'ἄρα τήνγε καὶ ἁρμονίῃσιν ἄρηρεν,

qua de causa aut aoristus est pro *ἤραρεν*, aut mutandum in *ἄρασσεν*, quod jam probat scholii auctor. —

Tertia syllaba hoc in perfectorum genere corripitur; *κατερήριπεν* (*ἐρείπω*), *ἀπελήλυθα* (*ΕΛΕΥΘΩ*), et $\overline{\varepsilon}$ in $\overline{o}$ mutatur in formis *ἀνήνοθεν, ἐπενήνοθεν* (de quarum origine Buttm. in Lexil. admodum verbose disputat, quamquam ipsae voces simplicissima ratione natae videntur e praepositionibus *ἀνά* et *ἐν*, quarum vis verbo substantivo *εἰμί* additur), *ἐγρήγορθα* (*ΕΓΕΡΘΩ*). Unum productionis exemplum est *εἰλήλουθα* (*ΕΛΕΥΘΩ*; $\overline{\varepsilon\upsilon}$ in $\overline{o\upsilon}$ mutatum videtur).

Purorum verborum perfecti secundi vocales radicales $\overline{\alpha}$, $\overline{\iota}$, $\overline{\upsilon}$ corripiuntur: *δείδια, δεδαώς, βεβάασι, τέθναμεν, ἕσταμεν, τετλάμεν, γεγάασι,*

μέμαμεν, πεφύασι; ex δαίω tamen fit δέδηε Od υ, 353. Il ζ, 329, ν, 736. ρ, 253 υ, 18. In promptu quidem est ἕστητε Il δ, 243 et perf. magnopere commendat loci ratio, neque tamen ingerenda videtur poetae nova forma, sed scribendum ἕστητε Cf. Buttm. s. v. ἵστημι. Plusq. activi generis et primum et secundum verborum omnium a perfecti sui ratione non recedit: ἐτεθήπεα, γεγήθει, ἐκεκεύθει, βεβρίθει, ἐμεμύκει, ἐπεπήγει, ἐῤῥίγει, ἐβεβρύχει, ἠνώγεα, τετρίγει, ἐγεγώνει, τεθήλει, κεχάνδει, βεβλήκει, βεβήκει, εἱστήκει, δεδειπνήκει, πεφύκει, μεμήλει, ἐώλπει, ἐπεποίθει, πεποίθεα, ἐῴκει, ἐώργει, γεγόνει, ὀπώπει, εἰληλούθει, ἀρήρει, ὀλώλει, ὀρώρει· βέβασαν, τέθνασαν, ἕστασαν, μέμασαν, ἐκγεγάτην, ἐδείδιμεν, ἐδείδισαν. Agmen claudit δεδήει (δαίω) Il β, 93. μ, 35, 466.

Passivi perfecti formae vulgari modo ab activis oriuntur et pauca modo sunt in Homerisis carminibus, quae difficultatem qnandam movere possint. Primum enim omnibus notum est, vocalium mutationem activi generis perfectorum propriam in passivum transire non posse (λέλειπται, εἶκτο κ. τ. ἑ.); attamen legitur ἐδήδοται (ἐδήδοκα) Od χ, 56, quamquam alii praeferunt ἐδήδαται (ἔδηδα) aut ἐδήδεται (injecta ε vocali). Ad idem genus et ἄωρτο (ἤορτο-ἤορα) referendum videtur. Saepius tamen α vocalis in passivum genus ex activo recipitur, non modo in τέτραμμαι, verum etiam in liquidis verbis; τέταται (TEN), πέφαται (ΦEN), ἐτέταλτο, πεπαρμένος (πείρω). Simili modo ex activo ευ fit passivum υ in vocibus τέτυγμαι (τέτευχα), πέφυγμαι (πέφευγα), ἔσσυμαι (σεύω), quibuscum quodammodo conjunctae sunt formae κέχυνται et πέπνῦμαι (χέω, πνέω). —

Deinde si μαι terminatio consonantibus literis addenda est, quibuscum minus facile potest coire, vulgari quidem modo illae literae mutantur, sed in dentalibus verbis remanet nonnunquam litera radicalis: κεκορυθμένος, in gutturalibus χ locum occupat literae γ: ἀκαχμένος (AKΩ), in liquidis ε etiam interponitur ὀρώρεται (pro ὄρωρται) Od τ, 377, 524. —

Tum in puris verbis, quorum vocalis radicalis jam in aliis temporibus corripitur, vulgari modo et in perfecto vocalis corripi (δέδετο, δέδοται, ἐκπέποται Od χ, 56, ἤνῠτο Od ε, 243, ἐφθῖται, πέπτᾰται) aut σ inculcari solet (δέδασται, ἕσμαι, (alia forma εἶμαι), τετέλεσται, τετάνυσται). Non deest tamen exemplum, in quo ab regula declinare videtur vocalis correptio μεμβλεται (pro μεμέληται; eliditur praeterea ε et additur β, ne conveniant μλ); et σ quoque recipitur in formas πεφασμένος (φημί) Il ξ. 127, βεβυσμένος Od δ, 134, quamquam ibi radicalis vocalis correptioni renititur. —

Attica reduplicatione ad formam adhibita justo modo brevis vocalis remanet in syllaba tertia: ἐρέριπτο, ἀγηγέρατο, ἐλήλαται, ἀρηρομένος (ἀρόω), ἀκηχέμενος Il σ, 29 ε, 364, sed multo frequentius est ἀκαχήμενος. —

Nec metathesis illa aut syncope, quam vidimus in activo genere, a passivo aliena est, id quod demonstratur formis: δέδμημαι (quod referri potest ad δέμω et δαμάω), τέτμηται, (τέμνω), πέπρωται, κέκλημαι, πέπταται, πεπλημένος (πελάζω), βέβλημαι. —

Consonans λ ejecta videtur e perfecti forma λελιημένος Il δ, 465. ε, 690. μ, 106. π, 552. —

Postremo πεπέρανται (περαίνω) producitur in πεπείρανται Od μ, 37.

Nonnunquam libri fluctuant inter duplicem perfecti formam. Sed semper scribendum est οὔτασται pro οὔταται (et partic. οὐτασμένος ad perf., οὐτάμενος ad aoristum referri debet), λέλασθαι ionica perf. forma antiqui verbi λάθω praeferenda est voci λέλησται, μεμορυγμένος, πεφυγμένος, ἐκπεπαταγμένος servanda sunt nec mutanda in πεφευγμένος, μεμορυχμένος, ἐκπεπατασμένος; ἤσχυμαι grammatici veteres praeferunt formae ἤσχυμμαι; postremo πέφανται (πέφνω) non mutandum in πέφνανται, non enim repugnante metro et reluctante significatu ad inauditum praesens πέφνημι confugere licet. —

Fit nonnunquam, ut ab una radice duplex proficiscatur perfecti forma, quemadmodum a βάλλω-βέβλημαι et βεβόλημαι (prius ad corporis, alterum ad animi vulnera referre grammatici consueverunt), a δαίω-δέδασται et δεδαίαται, ab ἕννυμι-εἶμαι et ἕσσαι. Non raro unius verbi utrumque, et primum et secundum perf., exstat, quod, si evenit, in pura verba sola cadit: βέβηκα et βεβάασι; τεθνηκα, τεθνᾶσι, τεθνειώς; ἕστηκα, ἕσταμεν; τέτληκα, τετλάμεν, τετληώς; δείδοικα et δείδια; πεφύκει et πεφύασι; δεδάηκα et δεδαώς; τετύχηκα et τέτευχα. Interdum duplex est secundi perfecti forma ad duplicem radicem referenda: πέπονθα (ΠΕΝΘΩ), et πεπαθυίη (ΠΑΘΩ), γέγονα (ΓΕΝΩ) et γεγάασι (ΓΑΩ), μέμονα (ΜΕΝΩ) et μεμάασι (ΜΑΩ).

§. 3.

De syllabis quibus terminantur perf. et plusq. formae.

Activi perf. formae legibus grammaticis convenienter cadunt in syllabas α, ας, ε, (ατον-τετεύχατον, αμεν, ατε), ασι; sed α, quod inest in duali et plurali numero, tertia plur. num. persona excepta, saepius eliditur in pleniore perfecti forma

(*εἰλήλουθμεν* pro *εἰληλούθαμεν* Il ι, 49. Od γ, 81), ac tum diphthongus οι verborum *οἶδα* et *ἔοικα* ι corripi (*ἴδμεν*, *ἔϊκτον* Od δ, 27) et consonantes literae in σ mutari solent (*ἴστε*, *πέποσθε* pro *πεπόνθατε* Od κ, 465. ψ, 53. Il γ, 99, quibus accedit *ἴσασι*). Ac semper α abjici vidimus in simpliciore perf. forma, quae vocatur syncopata (*ἔστατον*, *μέματον*, *ἕσταμεν*, *τέτλαμεν* Od υ, 311 (al. *τετλάμεν*), *μέμαμεν*, *δείδιμεν*, *μέματε*, *ἕστατε*); tertiae vero plur. num. personae α longum hoc in genere aut tenetur (*βεβάασι*, *γεγάασι*, *μεμάασι* *δεδίασι*, *πεφύασι*) aut contrahitur cum α praecedente brevi in ᾱ (*τεθνᾶσι* *ἑστᾶσι*). Eadem est plusq. ratio; exstant enim plenioris formae exempla duo: *ἐΐκτην* Od δ, 662. Il α, 104 φ, 285. χ, 379, *ἐπέπιθμεν* Il β, 341. δ, 159 ξ, 55 simplicioris multa: *ἐκγεγάτην* Od κ, 138, *βέβασαν*, *τέθνασαν*, *ἕστασάν*, *μέμασαν*, *δείδισαν* et *ἐδείδισαν*, *ἐδείδιμεν* Il ζ, 699, quibus accedit *ἴσαν* pro *ᾔδεσαν* Il χ, 280. Od δ, 722. ν, 170. ψ, 152. Singularis numerus formae syncopatae rarus est nec a vulgari formandi ratione declinans: *δείδια*, *ας*, *ε*, *δέδιεν*, *δεδίει* Il β, 93. μ, 35, 466.

Plus difficultatis habet plusquamperf. vulgare; quamquam enim prima et tertia sing. num. personae fere solae reperiuntur apud Homerum, summa tamen et ibi cernitur terminationis varietas. Prima quidem persona desinit in syllabas εα, sed in verbo *οἶδα* praesto sunt *ᾔδειν* et *ᾔδεα*, et in *ἄνωγα* non solum *ἠνώγεα* et *ἀνώγειν* (falso in libris nonnullis scribitur *ἀνώγην*), verum etiam imperf. temporis formae *ἠνώγεον*, *ἠνώγευν*, *ἤνωγον*, *ἄνωγον* (et ipsum *ἄνωγα* perf. in praesentis rationem transit: *ἀνώγει*, *ἀνώγετον*), denique in *γέγωνα* imperfecti forma *γεγώνευν*. Secunda persona εας exstat in nonnullis libris Od ω, 90 *ἐτεθήπεας*, sed *ἐτεθήπεα* ab hoc loco non videtur prorsus alienum esse, praesertim quum commendetur metro. Loquitur enim Ullixes:

μήτηρ δ' — — — περικαλλέ' ἄεθλα
θῆκε μέσῳ ἐν ἀγῶνι ἀριστήεσσιν Ἀχαιῶν.
ἤδη μὲν πολέων τάφῳ ἀνδρῶν ἀντεβόλησας (Achilles *ἀντεβόλησα?*)
— — — — — — — — —
ἀλλά κε κεῖνα μάλιστα ἰδὼν ἐτεθήπεας θυμῷ (obstupuisses, aut *ἐτεθήπεα* obstupui. Beckerus scribit *θηήσαο*)

Ex *οἶδα* fit *ἀείδης* Il χ, 280 et *ᾔδησθα* Od τ, 93 (al. *οἶδησθα*). Tertia persona desinit in ει, sed summa eorundem verborum *οἶδα* et *ἄνωγα* formarum apparet abundantia: *ᾔδει*, *ᾔδη*, *ᾔδειν*, *ᾔδεεν*, *ἠείδει* Od ι, 206; *ἠνώγει*, *ἀνώ-*

νει, ἠνώγεεν, ἠνώγειν, ἄνωγε (impf.) De εἱστήκειν cf. Buttm. §. 97 adn. 15. Plur. num. tertia pers. semel modo legitur ἐοίκεσαν Il ν, 102, nam ἄνωγα et γέγωνα imperf. rationem sequuntur: ἤνωγον, ἄνωγον, ἠνώγεον, γεγώνευν. De passivo perfecto, cujus fere omnes personae passim reperiuntur, haec fere observanda sunt. Nonnunquam esecunda persona σ extruditur: βέβληαι Il ε, 284. ν, 251 et correpto η βέβληαι Il λ, 380; μέμνηαι Il φ, 242; ἔσσυο Od ι, 447; et vocales contrahuntur: μέμνῃ Od ω, 115. Il ο, 18. υ, 188. φ, 396. In dentalibus verbis σ saepius geminatur: πέπυσσαι Od λ, 493, κέκασσαι Od τ, 82 (fortasse ortum ex πέπυθμαι, κέκαδμαι, cf. κεκορυθμένος). Deinde pro μεθα in promptu est μεσθα: δεδμήμεσθα Il ε, 878, τετιμήμεσθα Il μ 310 Postemo in liquido verbo κραίνω s. κραιαίνω α geminatur: κεκράανται, κεκράαντο Od δ, 616. ο, 116. δ, 132, quas formas utrum ad sing. num. an ad plur. referas incertum est, quoniam Homerus substantiva neutr. gen. in plur. num. et cum plurali et cum singulari praedicato coniungere solet. Cf. πέφανται Il β, 122. ξ, 332. π, 207, πεπείρανται Od μ, 37.

Pluralis num. tertia persona et perf. et plusq. temporis saepissime efficitur mutato ν in α non modo in iis verbis, quorum radix ita comparata est, ut cum νται ντο coire nequeat, verum etiam in puris et liquidis verbis. Facillime ejus formae fit in liq. et puris verbis: κεκλίαται, βεβλήαται, βεβλήατο, βεβολήατο, δεδμήαται, δεδμήατο, δεδαίαται (δάω, δαίω-δέδασται), πεποτήαται, (πέτομαι), κεκλήατο, πεφοβήατο, εἰλύαται, εἰρύαται, εἰρύατο, κεχολώατο, κείαται et κέαται, εἵαται et ἕαται, εἵατο et ἕατο (ἧμαι), εἵατο (ἕννυμι). De εἵατο Od υ, 106 cf. Buttm. s: v. εἰμί' νέαται Il ι, 153 mutandum in κέαται. Cf. interpp. In lab. verbis extremam syllabam praecedit aspirata litera φ: ἐπιτετράφαται, τετράφατο, in gutt. χ: ὀρωρέχαται, ὀρωρέχατο, δέχαται, δειδέχαται, δειδέχατο, ἐέρχατο, ἔρχατο, ἔρχαται, ἐπώχατο, in dent. radicale δ: ἐρηρέδαται, ἐρηρέδατο (ἐρείδω-ἐρήρεισμαι, correpto ει in ε). Idem vero δ apparet in verbis ῥαίνω (al. ῥάζω propter aor. ῥάσσατε Od υ, 150), ἐλαύνω, ἀχέω: ἐῤῥάδαται, ἐῤῥάδατο Od υ, 354 Il μ, 431, ἐληλάδατο Od η, 86, ἀκηχέδαται Il ρ, 637 (al ἐῤῥάναται, ἐῤῥάνατο, ἐληλέατο, ἀκηχέαται. cf. Buttm. §. 98 adn. 13 et Il μ, 179 ἀκαχείατο).

Iam aggrediamur perfecti temporis modos.

1. Conjunctivus modus activi perf., quod syncopatum vocant grammatici, in Homericis desideratur, ceterorum generum conj. frequens est et vulgari ratione ter-

3

minatur syllabis ω (εω), ῃς ῃ (ῃσι), ωμεν (ομεν), ητε (ετε), ωσι: εἰδῶ, εἰδέω bisyllabum Od π, 236, εἰδῇς, εἰδῇ, εἴδομεν, εἴδετε Od ι, 17. Il ϑ, 18, εἰδῶσι; πεποίϑω, πεποίϑῃς, πεποίϑομεν; ἀνώγῃ, ἐῤῥίγῃσι Il γ, 353; ἱλήκῃσι; ὀλώλῃ; ὀρώρῃ; μεμήλῃ, ἀρήρῃ, προβηβήκῃ. Passivi generis exempla rarissima sunt: ὀρώρηται Il ν, 271 (cf. ind. ὀρώρεται), μεμνώμεϑα Od ο, 168, κῆται Il τ, 32. Od β, 102 (al. κεῖται). —

2. Optativus perf. syncop. frequentissimus in αίην, ειην etc. syllabas cadit: τεϑναίην, ης, η; τετλαίη; ἀφεσταίη; εἰδείην, ῃ, raro autem idem modus flectitur a vulgari perfecto, nihil enim reperitur alind quam πεφεύγοι Il φ, 709 et ὀλώλοι et ὀρώροι (al. ὀλώλῃ, ὀρώρῃ); sed βεβρώϑοις, ἀνώγοιμι, οι, οιτε ad praesens tempus referenda sunt. Passivus optativus rarissimus est nec ejus exempla ab omni dubitatione liberata, legitur enim μεμνῄμην Il ω, 745 et μεμνέῳτο (trisyllabum) Il φ, 361, postremo λελῦτο Od σ, 237 (cf. interpp. et imprimis Eustath. v. Buttm. §. 98 adn. 15. 16, 17. Simili ratione formati sunt praes. et aor opt. δαινῦτο Il ω, 665, φϑῖτο Od κ, 51. λ, 330).

3. Imperativus activus frequens est in perf. syncop. ac semper exit in ϑι, praecedente vocali brevi: τέϑλαϑι, τετλάτω· μεμάτω· ἕσταϑι, ἕστατον, ἕστατε· τέϑναϑι, τεϑνάτω, quibus accedunt plenioris perfecti formae ad generis syncopati similitudinem delapsae: ἐγρήγορϑε, ἄνωχϑι, ἀνώχϑω, ἄνωχϑε. Sed ἀνωγέτω et ἀνώγετε a praesenti tempore sejungenda non sunt. Passivus imperativus frequens est atque semper justus: ἀνῄφϑω, τετράφϑω, τετύχϑω, πεπάλαχϑε, κεῖσο, κείσϑω, ἧσο, ἀλάλησο.

4. Infinitivus activi generis nunquam exit in εναι, sed semper in μεν, μεναι, antecedente vocali brevi. Praecipue vero locum habet hic modus in purorum verborum secundo perfecto: δειδίμεν (falso al. δειδέμεν), τεϑνάμεν et τεϑνάμεναι, ἑστάμεν et ἑστάμεναι, τετλάμεν et τετλάμεναι, βεβάμεν, ἐκγεγάμεν. Sed ἀνωγέμεν et γεγωνέμεν praesenti tribuenda sunt, πεπληγέμεν aoristo. Restant inf. ἴδμεν, ἴδμεναι pro εἰδέμεν, εἰδέμεναι. Passivi infinitivi forma a legibus grammaticis non recedit. sed praesentis temporis accentui accommodanda sunt: ἀλάλησϑαι, ἀκάχεσϑαι, ἔρυσϑαι et εἴρυσϑαι („servare", nam εἰρῦσϑαι „tractum esse" probum accentum tenet). De ἐγρηγόρϑαι cf. Buttm. s. v. ἐγείρω.

5. Participium plenioris perf act. terminatur syllabis legitimis ώς υῖα ός (rarum tamen est neutrum genus, nec legitur quidquam praeter ἀρηρός; gen. ca-

sus $\overline{\text{ότος}}$, dat pl: $\overline{\text{όσι}}$: *εἰδόσι*). Producitur $\overline{\text{ο}}$ in uno exemplo *τετριγῶτας* Il β, 314. *Syncopatum* perf. cadit in syllabas $\overline{\text{ώς}}$, $\overline{\text{υῖα}}$ (neutrum enim genus desideratur), praemissis aut brevibus vocalibus *βεβἄώς*, *βεβἄυῖα*, *μεμἄώς*, *μεμἄυῖα*, *γεγἄυῖα δεδἄώς*, *πεφῡυῖα*) aut productis *μεμᾱώς* Il π, 754). Atque brevi antedecente vocali litera flexio fit per $\overline{\text{ῶτος}}$ etc. (*βεβαῶτος*, *μεμαῶτος*, *μεμαῶσι*, *γεγαῶτα*, *πεφυῶτας*) aut *ότος* etc. (*ἑσταότες* *δειδιότος*; metro enim repugnarent *ἑσταῶτος* etc.); longam vero vocalem sequitur *ότος* (*μεμᾱότε* Il ν, 197, *μεμᾱότες* Il β, 818). Feminini generis formae in $\overline{\text{ῶσα}}$ desinentis unum exemplum est *βεβῶσα* Od υ, 14. Minus legitimae formae *ἱστεότος* etc. saepe adscriptae leguntur instis *ἑσταότος* etc. Denique id participiorum genus, cui $\overline{\text{κ}}$ detractum est, cadit in $\overline{\text{ώς}}$, $\overline{\text{υῖα}}$ (neutrum genus omnino deest), *ότος*, antecedente $\overline{\text{η}}$. Exempla jam enumeravimus. Unius verbi *θνήσκω* formae inter $\overline{\text{η}}$ et $\overline{\text{ει}}$, $\overline{\text{ῶτος}}$ et $\overline{\text{ότος}}$ in libris semper fluctuant; Buttm. tamen censet, ante longam vocalem scribendum esse $\overline{\text{ει}}$, ante brevem η *τεθνειώς*, *τεθνειυῖα*, *τεθνειῶτος*, *τεθνηότος* etc. Etiam *τεθνεῶτι* (trisyllabum) reperitur Od τ, 331 et eodem modo *πεπτεῶτα* Il φ, 503, *πεπτεῶτας* Od χ, 384 (*πίπτω*. Alii minus recte *πεπτηῶτας*, *πεπτεότας*, *πεπτεότα*), *ποτιπεπτηυῖαι* Od ν, 98. Participii *πεπτηώς* (*πτήσσω*) nom. casus plur. num. est *πεπτηῶτες* Od ξ, 474. Il β, 312. Passivi participii proparoxytoni exempla sunt: *ἀκάχμενος*, *ἀλαλήμενος*, *ἀλιτήμενος*, *ἀκαχήμενος* et quae ad aor. et praes. referri possunt *ἥμενος*, *κείμενος*, *ἐσσύμενος*. Non tamen omnibus locis hoc in genere eadem est librorum ratio et judicium.

§. 4.

De circumscriptione quadam perf et plusq

Nonnunquam fit, ut ipso perf. et plusq. repudiato verba *εἰμί* et *πέλομαι* participiis adjuncta ad ipsum perfectum ejusque modos formandos adhibeantur. Raro id quidem animadvertitur in activo genere (*τετληότες εἰμέν* Il ε, 873), sed saepissime in passivo. Indicativi exempla sunt: *τετελεσμένον ἐστί* Il ξ, 196 ο, 388, *λελασμένος εἶς* Il π, 538, *πεπρωμένον ἐστί* Il γ, 309, *μεμιγμένον ἐστίν* Od θ, 196, optativi: *κεκλημένος εἴη* Il β, 260, *τετελεσμένον εἴη* Od ο, 535, *ἀκαχημένος εἴη* Il ε, 24, imperativi: *εἰρημένας ἔστω* Il θ, 524, *τετελεσμένον ἔστω* Od ε, 90, *πεφυλαγμένος εἶναι* Il ψ, 343, infinitivi: *κεκρυμμένον εἶναι* Od λ, 442, *πεφυγμένον εἶναι* Od ι, 455, *πεφυγμ. ἔμμεναι* Il ζ, 488, *πεπνυμένον εἶναι* Od θ, 388, *λελασμένον ἔμμεναι* Il ν,

269, πεφυλαγμένον εἶναι Il φ, 531. plusquamperfecti: βεβλημένοι ἔσαν Il ν, 764. λελασμένος ἔπλεν Il ψ, 29, τετελεσμένα ἦεν Il ϑ, 464, τετελεσμένα ἦεν Il σ, 4, πεφυγμένος ἦεν Od α, 18, κεκακωμένοι ἦμεν Il λ, 688. τεϑυωμένον ἦεν Il ξ, 172.

Pars altera.

De perf. et plusq. Homerici significatione.

Perf. et plusq. temporis significatio Homerica plurimis quidem locis a vulgari loquendi ratione non abhorret; iis enim tempp. significantur actiones, quae plane perfectae et absolutae in posterum tempus continuantur, eo inter perfectum ipsum et plusquamperfectum intercedente discrimine, ut quae perf. posito ad id tempus praesens referantur, quo versatur is qui loquitur, plusquamperfecto posito ad prius quoddam tempus praesens pertineant, quod nunc jam praeteriit, itaque εἰλήλουϑα significet „veni, jam perfectum est iter meum, jam adsum", εἰληλούϑειν „veneram jam perfectum erat iter meum, tum aderam sive tum praesens eram", λέλειπται „relictum est i. e. nunc reliquum est", λέλειπτο „relictum erat i. e. reliquum erat."

Quae quum subjecta sit significatio formis Homericis longe plurimis, rem vel pueris notam ingenti exemplorum copia confirmare et in re aperta laborare nolui, operae tamen pretium me facturum esse confidens, si in iis, quae a vulgari ratione declinare videantur, explicandis curam, qualiscunque est, adhibuerim. Saepissime autem apud antiquissimum poetam, paullo artificiosiore illa et strictiore significatione neglecta, perf. praesentis et aoristi, plusq. imperfecti et aoristi locum occupant, imprimis in activo genere.

1. Id primum fieri videmus in iis verbis, quibus animi affectio et perturbatio quaedam significatur, aut laetitia, velut γέγηϑα Od ζ, 106. Il ϑ, 558.

Νύμφαι Ἀγρονόμοι παίζουσι, γέγηϑε δέ τε φρένα Λητώ.

Πάντα δέ τ' εἴδεται ἄστρα, γέγηϑε δέ τε φρένα ποιμήν.

aut metus, velut ἔῤῥιγα Il ρ, 175

Οὔτοι ἐγὼν ἔῤῥιγα μάχην, οὐδὲ κτύπον ἵππων.

Il η, 114. Od β, 52 et πέφρικα Il λ, 383

Οἵτε σε πεφρίκασι, λέονϑ' ὥς μηκάδες αἶγες.

Il ω, 775, aut cupiditas quaedam, velut μέμηλε Il β, 25.

Ὧι λαοί τ' ἐπιτετράφαται καὶ τόσσα μέμηλε.

Il β, 62. ι, 228. ε, 876. τ, 213. Od ε, 67. ζ, 65. μ, 116 (itaque μεμηλώς adjectivum „cupidus") et μέμονα, μέμαα Il ε, 482

Ἀλλὰ καὶ ὧς Λυκίους ὀτρύνω καὶ μέμον᾿ αὐτὸς
Ἀνδρὶ μαχέσσασθαι.

(eadem ratione in Iliade decies, in Odyssea bis; μεμαώς cupidus); προβέβουλα praefero Il α, 113

Καὶ γάρ ῥα Κλυταιμνήστρης προβέβουλα.

Hunc in numerum recipi fortasse potest τέτλαα patior, quod ipsum quidem Homerus non habet, sed modis omnibus inhaeret praesentis vis semper, quamquam primum perfectum τέτληκα Il α, 228

Οὔτε ποτ᾿ ἐς πόλεμον — Οὔτε λόχονδ᾿ ἰέναι —
Τέτληκας θυμῷ.

et Il α, 543. Od τ, 347 aoristus esse videtur „ausus es, passus es". Tum praesentis vis ac potestas inest in perfecto tempore omnium fere verborum vocandi, sonandi; μέμυκεν Od κ, 227

Τίς Καλὸν ἀοιδιάει, δάπεδον δ᾿ ἅπαν ἀμφιμέμυκεν,

βέβρυχεν Od ε, 412

ἀμφὶ δὲ κῦμα Βέβρυχεν ῥόθιον,

βέβρῡχεν s. βέβροχεν Il ρ, 54; et inde fit, ut magna pars id genus participiorum in praesentium agmen transeat; μεμυκώς, κεκληγώς, τετριγώς (frendens dentibus), λεληκώς, κεχηνώς, μεμηκώς ἀμφιαχυῖα. Contra δεδουπώς „qui cecidit cum strepitu, qui mortuus est" perfecti vim servat. Postremo ἄνωγα et γέγωνα verbis vocandi adjungi debent.

Tertio loco verborum, quae motum et statum significant perfecta fere semper praesentis significatu ornantur. Justa quidem vis ac potestas perfecti βέβηκα servatur Il κ, 252

Ἄστρα δὲ δὴ προβέβηκε παρῴχηκεν δὲ πλέων νὺξ

„stellae processerunt, jam alto in coelo fulgent" et Il β, 134

Ἐννέα δὲ βεβάασι Διὸς μεγάλου ἐνιαυτοί,

sed ἀμφιβέβηκας Il α, 37, 451. ο, 90. ψ, 481 merum praesens est „tueris" et eodem modo ἀμφιβέβηκας Il ζ, 355. π, 66. Od θ, 541. μ, 74 „circumdat, occupat" et προβέβηκας Il ζ, 125. ψ, 890 „superas", et ἐπιβέβηκε Il π, 70 „ingruit", et idem prorsus adnimadvertitur in infinitivo et participio. Eadem natura est perfecti μέμβλωκε. nam Od ρ, 190

Ἀλλ᾿ ἄγε νῦν ἴομεν, δὴ γὰρ μέμβλωκε μάλιστα Ἦμαρ

verum perfectum est „jam transactum est diei tempus", sed παρμέμβλωκε Il δ, 11 idem est quod ἀμφιβέβηκε „tuetur". Sequitur normam ἀναδέδρομε Od ε, 412, κ, 4 „eminet, excurrit" et ἐπιδέδρομε Od ζ, 45. υ, 357 „ambit, panditur".

Nec movendi vis prorsus aliena esse videtur a perfectis praesentis significatu praeditis: ὄλωλε Od β, 64

Οὐ γὰρ ἔτ' ἀνσχετὰ ἔργα τετεύχαται, οὐδ' ἔτι καλῶς
Οἶκος ἐμὸς διόλωλε

δ, 318

Ἐσθίεταί μοι οἶκος, ὄλωλε δὲ πίονα ἔργα

non enim deletam esse domum Telemachus queritur, sed deleri (aliis tamen locis ὄλωλε vim insitam tenet, quemadmodum et conjunctivus modus Il δ, 164. ζ, 448), ἀνήνοθεν Od ρ, 270

Κνίσση μὲν ἀνήνοθεν, ἐν δέ τε φόρμιγξ Ἠπύει

ἐπενήνοθεν Od θ, 365

Ἐλαίῳ Ἀμβρότῳ οἷα θεοὺς ἐπενήνοθεν αἰὲν ἐόντας.

κέκευθε Od γ, 18. Il χ. 118 „abscondit"

Ἀλλ' ἀποδάσσασθαι, ὅσσα πτόλις ἧδε κέκευθε.

Et praesentis vi ornari videntur participia verborum, quae significant pulsare, percutere: κεκοπώς et πεπληγώς. Prius legitur Il ν, 60. Od σ. 335

Ἦ, καὶ σκεπανίῳ γαιήοχος Ἐννοσίγαιος
Ἀμφοτέρω κεκοπὼς πλῆσεν μένεος κρατεροῖο,

Μήτις τοι τάχα Ἴρου ἀμείνων ἄλλος ἀναστῇ,
Ὅστις σ' ἀμφὶ κάρη κεκοπὼς — Ἐκπέμψῃσι.

alterum Il β, 264. ε, 763 χ, 497. Od κ, 238, 319. π, 456

Αὐτὸν δὲ — ἀφήσω
Πεπληγὼς ἀγορῆθεν ἀεικέσσι πληγῇσιν.

Ζεῦ πάτερ, ἦ ῥά τί μοι κεχολώσεαι, αἴ κεν Ἄρηα
Λυγρῶς πεπληγυῖα μάχης ἐξ ἀποδίωμαι;

Atque agmen claudunt δέδορκα Il χ, 95

Ὡς δὲ δράκων — ἄνδρα μένῃσι,
Βεβρωκὼς κακὰ φάρμακ', ἔδυ δέ τέ μιν χολὸς αἰνός,
Σμερδαλέον δὲ δέδορκεν

(δεδορκώς Od τ, 446), ἔοικε „similis est", decet (ἐοικώς adjectivum), ἐγρήγορα „vigilo" Il κ, 419

Οἱ δ' ἐγρηγόρθασι φυλασσέμεναι δὲ κέλονται

(ἐγρηγόρθαι vigilare), κεχανδώς Il ψ, 268. Od δ, 96 „continens", τεθηλώς florens, quibus quodammodo adjungi possunt κεκορηώς saturatus, κεκοτηώς iratus, βεβαρηώς gravis, τετιηώς tristis, κεχαρηώς laetus, κεκαφηώς fessus,

πεπτηώς subsidens, sich kauernd. *πεπτεώς* humi jacens, *ἑαδώς* placens, *πεφυζότες* trepidi, *κεκμηώς* fessus, quae tamen omnia quum naturam quandam aut indolem significent homini cuidam aut rei non semel impressam sed perpetuo inhaerentem, meris perfectis vix eripi possunt.

2. Aoristi vis ac potestas inesse videtur multis perfectis verborum movendi: *ἐπελήλυθα* Od δ, 268

Ἤδη μὲν πολέων ἐδάην βουλήν τε νόον τε
Ἀνδρῶν ἡρώων, πολλὴν δ' ἐπελήλυθα γαῖαν.

(sed Od τ, 223. ω, 309 *ἀπελήλυθε* probum perfectum est), *ὄλωλεν* Od γ, 89

Οὐ γάρ τις δύναται σάφα εἰπέμεν, ὁππόθ' ὄλωλεν

δ, 511. ξ, 137

Ὡς ὁ μὲν ἔνθ' ἀπόλωλεν.

Quum tamen poetarum mos et consuetudo loquendi ita ferat, ut actiones nondum perfectae velut in picta tabula vivis coloribus distincta ante oculos absolutae proponantur, in omnibus id genus exemplis perfectum justum obtinere locum videtur, quamquam ad simplicem orationem aptior est aoristus aut praesens. Ita defendi potest perfectum *ὄλωλε* Od β, 69. δ, 318, quos locos praesenti tempori addiximus supra, non enim dedecet Telemachum summo moerore affectum, domum jam deletam esse dicere, quum nondum prorsus eversa sit. Eodem modo plusquamperfectum haud prorsus repugnare videbimus locis quibusdam, quos aoristo addicemus infra.

Sed aoristi locum occupat *ἀνήνοθεν* Il λ, 266

ἐπεπωλεῖτο στίχας ἀνδρῶν
Ὄφρα οἱ αἷμ' ἔτι θερμὸν ἀνήνοθεν ἐξ ὠτειλῆς.

et *ἐπενήνοθεν* Il β, 219. κ, 134

Ἀμφὶ δ' ἄρα Χλαῖναν περονήσατο —
Διπλῆν ———, οὔλη δ' ἐπενήνοθε λάχνη.
Φοξὸς ἔην κεφαλήν, ψεδνὴ δ' ἐπενήνοθε λάχνη.

Idem cadit in vocandi verba: *ἄνωγα* Od ι, 331

Αὐτὰρ τοὺς ἄλλους κλήρῳ πεπαλάχθαι ἄνωγα

(al. *ἄνωγον*) et *γέγωνεν* Il ξ, 469. ω, 703. Od θ, 305.

Αἴας δ' αὖτε γέγωνεν ἀμύμονι Πουλυδάμαντι.
Κώκυσέν τ' ἄρ' ἔπειτα, γέγωνέ τε πᾶν κατὰ ἄστυ.
Σμερδαλέον δ' ἐβόησε γέγωνέ τε πᾶσι θεοῖσιν.

Nec ab aoristo abhorrere videntur *ὄπωπα* Il β, 799

Ἀλλ' οὔπω τοσόνδε τοιόνδε τε λαὸν ὄπωπα

Il ζ, 124. ω, 392. Od γ, 93. δ, 323. ρ, 371. φ, 94, *πέπονθα* Od ρ, 284

Τολμήεις μοι θυμὸς, ἐπεὶ κακὰ πολλὰ πέπονθα
cf. ν, 6. κ, 465. ψ, 53. Il γ, 99, ἀνέῳγε Od κ, 393
Κίρκη ——— Θύρας δ' ἀνέῳγε συφειοῦ
(al. ἀνέῳξε) cf. Il π, 221. ξ, 168. ω, 228.

3. Plusquamperfectum aoristi vi praeditum invenimus in verbis movendi: βεβήκει (solis exceptis locis Od γ, 410
'Αλλ' ὁ μὲν ἤδη κηρὶ δαμεὶς Ἄϊδόςδε βεβήκει
Od μ, 312. ξ, 483. Il β, 730
Ἦμος δὲ τρίχα νυκτὸς ἔην μετὰ δ' ἄστρα βηβήκει.
ἐρέται δ' ἐν ἑκάστη πεντήκοντα Ἐμβέβασαν),
ὀρώρει Il ψ, 112
Ἐπὶ δ' ἀνὴρ ἐσθλὸς ὀρώρει Μηριόνης
„surrexit", potes tamen vertere „surrexerat, jam ducebat agmen", id quod aptius fortasse est ad sermonem poeticum. Semper aoristi vis insita est voci βεβλήκει „percussit, vulneravit"; nec declinant ab regula vocandi verba: ἐμεμύκει Od μ, 395
Εἷρπον μὲν ῥινοὶ κρέα δ' ἀμφ' ὀβελοῖς ἐμεμύκει
(al. ἐμέμυκεν), ἐβεβρύχει Od μ, 242
ἀμφὶ δὲ πέτρη Δεινὸν ἐβεβρύχει.
τετρίγει Il ψ, 714
Τετρίγει δ' ἄρα νῶτα θρασειάων ἀπὸ χειρῶν
Ἑλκόμενα στερεῶς.
ηνώγει, ἐγεγώνει
Accedunt ἐώργει Od δ, 693, quo loco Ulixi laudantur boni probique mores
Κεῖνος δ' οὔποτε πάμπαν ἀτάσθαλον ἄνδρα ἐώργει,
quamquam ibi plusq. quoque optimo jure defendi potest et verum plusq. cernitur Od ξ, 289.

Agmen claudit ὀπώπει Od ψ, 226
Εὐνῆς ἡμετέρης, ἣν οὐ βρότος ἄλλος ὀπώπει,
'Αλλ' οἶοι σύ τ' ἐγώ τε.

Probum plusq. habes Od φ, 123.

4. Imperfecti significatio subjecta esse videtur plusquamperfecto verborum, quibus gaudium, timor, cupiditas quaedam indicatur: γεγήθει Il λ, 693. ν, 494
γεγήθει δὲ φρένα Νηλεύς.
Ὡς Αἰνείᾳ θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι γεγήθει.
ἐῤῥίγει Od ψ, 216
Αἰεὶ γάρ μοι θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι φίλοισιν
Ἐῤῥίγει.

μεμήλει Od α, 151. Il β, 614.

Μνηστῆρες, τοῖσιν μὲν ἐνὶ φρεσὶν ἄλλα μεμήλει.

ἐπεὶ οὔ σφι θαλάσσια ἔργα μεμήλει.

Eadem natura est plusquamperfectorum μέμασαν, βεβήκει et βέβασαν, quum significat „tueri", velut περιβέβασαν Il ρ, 286, ἀμφιβεβήκει Od ι, 198, ἐκεκεύθει Od ι, 348, κεχάνδει Il ω, 192, ὀδώδει Od ε, 60. ι, 210 τεθήλει Od ε, 69, ἐῴκει. Non prorsus tamen abhorret ab locis omnibus plusquamperfectum legitimum.

5. Passivo perfecto praesentis vis inhaerere solet imprimis in iis verbis, quibus animi quaedam affectio designatur: ὀδώδυσται „irascitur" Od ε, 423, ἀλαλύκτημαι „contremisco" Il κ, 94, δεδάκρυμαι „lacrymo" Il π, 7. χ, 491. Od υ, 204, 353 μέμβλεται „cordi est Il τ, 343, δέχαται „exspectant pugnandi cupidi" Il μ, 147

σύεσσιν ἐοικότε, τώ τ᾽ ἐν ὄρεσσιν

Ἀνδρῶν ἠδὲ κυνῶν δέχαται κολοσυρτὸν ἰόντα

δειδέχαται Od η, 72 „vocibus faustis excipiunt venientem"

οἵ μιν Δειδέχαται μύθοισιν, ὅτε στείχῃσ᾽ ἀνὰ ἄστυ.

εἰρύαται Od π, 463 „observant me et interficere student", Il α, 239 „reges servant Jovis leges" (idem perfectum si trahere significat vim propriam retinet semper), πεφυλαγμένος „vigil", κεχρημένος „carens, indigens." Sequuntur movendi verba: ἀλάλημαι „vagor", πεπότηται „volitat" Il β, 90. Od λ, 221, ὀρωρέχαται Il π, 834 „equi impetu feruntur in pugnam." Agmen claudit κεῖμαι.

6. Iam restant exempla plusquamperfecti vi aoristi aut imperfecti praediti. Et ibi primum locum sibi vindicant cupiendi verba, imprimis ἔρυτο, si significat „tueri, servare, observare" (unus exstat locus Od χ, 90 εἴρυτο δὲ φάσγανον ὀξὺ ubi εἴρυτο aoristus est, quamquam subjecta est voci vis propria „traxit, strinxit"). Buttm. quidem εἴρυτο et ἔρυτο imperfectis adnumerat et contracta esse censet ex εἰρύετο, ἐρύετο (quod ipsum legitur Il ζ, 402), et revera imperfecti significatio non aliena est a formis εἰρύατο Il χ, 303, εἴρυντο Il μ, 454, ἔρῡσο Il χ, 507, ἔρῡτο Il π, 542. ω, 499. δ, 138, neque tamen inde efficitur, ut easdem formas aoristo accommodari posse negemus, nam quod Buttm. aoristum attribuit solis locis Il ε, 23, 538. Od χ, 90, in eo videtur falli, justi enim praeterea aoristi significatio inesse videtur locis Od ω, 523. Il ρ, 518

Ἡ δ᾽ οὐκ ἔγχος ἔρυτο, διὰ πρὸ δὲ εἴσατο χαλκός

Il ν, 555

Ποσειδάων ἐνοσίχθων

Νέστορος υἱὸν ἔρυτο καὶ ἐν πολλοῖσι βέλεσσιν.

Il ψ, 819

Ἔνθ' Αἴας μὲν ἔπειτα κατ' ἀσπίδα πάντοσε ἴσην
Νύξ' οὐδὲ χρό' ἵκανεν· ἔρυτο γὰρ ἔνδοθι θώρηξ.

sequitur igitur, ἔρυτο esse plusq. integrae significationis parum tenax et omnibus praeteritis pari facilitate aptum.

Deinde μέμβλετο significat „cordi erat", δειδέχατο et δείδεκτο (δείκνυμι) Il χ, 435. δ, 4. ι, 671 „propinaverunt salutem", πεπόνητο Il ο, 447 „occupatus erat".

Iam movendi verba videamus. ἐπέσσυτο Od δ, 841

Ὡς οἱ ἐναργὲς ὄνειρον ἐπέσσυτο νυκτὸς ἀμολγῷ

verum plusq. est, ceteris locis semper aoristus. Idem valet in ἠρήρειστο Iliadi soli addictum vocabulum (γ, 358. δ, 136. η, 252. λ, 436) „hasta penetravit per scutum" (sed ἐρηρέδατο Od η, 95. Il ψ, 329 vim suam tenet) et in ὀρωρέχατο Il λ, 26 „dracones sinuabantur in clypeo", et in ἐστήρικτο Il φ, 168 „hasta in terram penetravit" (sed Il π, 111 eidem formae adhaeret plusq. vis ac potestas „mutuo sese quasi suffulciebant mala i. e. malum excepit malum") et in ἐλήλατο Il δ, 135, ν, 595 „sagitta adacta est per balteum, per manum infixa est hasta" (attamen ἐληλάδατο Od η, 86 et ἐλήλατο Il κ, 153. ε, 400 plusquamperfecto eripi nequeunt). Nec aoristum respuere videntur ἐλέλικτο Il ν, 558 „hasta quassata est", Il λ, 39 „draco sinuabatur in orbem". τέτατο Il ρ, 543

Ἂψ δ' ἐπὶ Πατρόκλῳ τέτατο κρατερὴ ὑσμίνη.

Il ψ, 758. Od θ, 121

Τοῖσι δ' ἀπὸ νύσσης τέτατο δρόμος· ὦκα δ' ἔπειτα
Ἔκφερ' Ὀϊλιάδης.

κέχυτο Il π, 123

τοὶ δ' ἔμβαλον ἀκάματον πῦρ
Νηῒ θοῇ· τῆς δ' αἶψα κατ' ἀσβέστη κέχυτο φλόξ.

πεπάλακτο Il λ, 98, 535

ἐγκέφαλος δὲ Ἔνδον ἅπας πεπάλακτο
αἵματι δ' ἄξων νέρθεν ἅπας πεπάλακτο

quibus omnibus in exemplis vim propriam tempori plusq. inhaerere confitendum erit, si poetam non enarrare actiones „sed res gestas imitari atque adumbrare dicendo putabimus. Postremo inter aoristos referenda sunt plusq. exempla κέχρητο Od γ, 266. ξ, 241. π, 398 „utebatur, habebat" et πεπάσμην Il ω, 642 „gustabam."

7. Fit nonnunquam, ut in Homericis carminibus loci quidam passivum perfectum prae se ferant, ubi plusq., et plusq. ubi perfectum requiri videatur. Quum tamen nulla omnino significationis similitudo intercedat inter utrumque tempus, aut

levi emendatione adhibita poeticae orationis sinceritatem restituendam, aut transitum quendam e plusquamperfecto tempore in aoristum agnoscendum esse putem. Ita Il μ, 164

Ζεῦ πάτερ, ἦ ῥα νυ καὶ σὺ φιλοψευδὴς ἐτέτυξο

ἐτέτυξο aoristi locum occupare videtur praesentis significatione praediti. Cf. ἔπλεο „es" Il α, 418, ἔπλετο „est" Il α. 506. β, 480. Sed Il ϑ, 163

Νῦν δέ σ' ἀτιμήσουσι· γυναικός ἄῤ ἀντετέτυξο

fortasse scribendum est ἀντιτέτυξαι, et eodem modo Od ε, 312

Νῦν δέ με λευγαλέῳ θανάτῳ εἵμαρτο ἁλῶναι

scrib. εἵμαρται, et Il γ, 183

Ἦ ῥά νύ τοι πολλοὶ δεδμήατο κοῦροι Ἀχαιῶν

δεδμήαται et Od ι, 447

Κριὲ πέπον, τί μοι ὧδε διὰ σπέος ἔσσυο μήλων
Ὕστατος

ἔσσυαι, postremo Od π, 11

Οὔπω πᾶν εἴρηται ἔπος, ὅτε οἱ φίλος υἱὸς
Ἔστη.

εἴρητο. cf. Od π, 351. Simile quid animadvertitur in activo genere Od α, 151. Il β, 614, ubi pro vulgari μεμήλει scribendum videtur μέμηλε, quod nonnullis in libris exstat.

8. Nec mihi de perfecti significatione disputanti silentio transeundae videntur eae formae passivi perfecti, quibus subjecta est activi vis aut medii: πέπυσμαι „audivi, scio", κέκασμαι excello, λέλασται oblitus est, ἐκτῆσθαι possidere, κέχρητο utebatur, πεφυγμένος qui effugit, λελιημένος cupidus, κεχαρισμένος gratus, ἀλιτήμενος, qui peccavit, πέπαυμαι desii, δεδάκρυμαι lacrymo, ὀδώδυσται irascitur, δέχαται exspectant et δεδοχημένος exspectans Il ο, 730, δειδέχατο propinaverunt, ὀρωρέχαται, πεπάσμην, ἀλάλημαι, μέμβλεται, πεπόνητο, ἔρυτο tutabatur, ἔσσυμαι cupio, ἐγρηγόρθαι vigilare (id tamen activo generi tribuendum est, quamquam passiva est formae ratio), ἀφῖχθαι pervenisse, πεφυλαγμένος εἶναι „cautum esse" Il ψ, 343. Et ex verbis medio generi adscriptis activum perfectum flectitur, velut et γίγνομαι-γέγονα et γέγαα, ex μείρομαι-ἔμμορα. ex οἴχομαι οἴχωκα. ex δίομαι-δείδια (exterritus sum, timeo), ex ἱλάομαι „propitium mihi reddo aliquem" — ἵληκα „propitius sum", nisi mavis ad ἱλήκω referre formam.

9. Iam, ut opusculo finem imponam, monitum velim, ne apud Homerum passivas perfecti formas certo semper significationis discrimine ab activis sejunctas esse

putes; nonnunquam enim inter utrumque tempus nihil prorsus interest, id quod demonstratur formis κεκορημένος et τετιημένος, quibus eadem inhaeret vis, quam subjectam esse vidimus vocibus κεκορηώς, τετιηώς. Idem cadit in πεφευγότες Od α, 12 et πεφυγμένος Od α, 18, τετευχώς Od μ, 423 et τετυγμένος (cui accedit τετύχηκε Od κ, 88. Il ρ, 748 idem significans quod τέτυκται), ἔοικε et ἔϊκτο, συνοχωκότε et ἐπώχατο, μέμηλε et μέμβλεται, ὄρωρε et ὀρώρεται, κατερήριπεν et ἐρέριπτο, nec mirum poterit esse, quum Homerico perfecto activo et primo et secundo longe saepius insit vis intransitiva sive passiva, transitiva vero appareat in his tantum formis: ὄπωπα, ἔολπα (quum tamen praesto sit ἔλπω „induco in spem", ἔολπα passivum potest esse „inductus sum in spem, spero"), λέλοιπα, κέκευθα, πέπονθα, οἶδα, κέκοπα et πέπληγα, ἔδηδα, βέβρωθα, κέχανδα, ἀνέῳγα „aperui," ἔοργα, λέλογχα, δέδορκα, ἄνωγα, πέφευγα, προβέβουλα, γέγωνα, μέμονα et μέμαα, ἔμμορα. τέτληκα, δείδια (de cujus significatione passiva paullo supra dictum est), βέβληκα, βεβίηκα, δεδάηκα, δέδυκα „subii occupo."

